

4. Quid requiratur et sufficiat ut natura quaedam humana ita extrinsece denominaret Verbum ut vere et realiter Verbum sit homo.

a Ponimus principium adaequationis reflexive.

Supra conclusimus Verbum esse hominem vere et realiter per denominationem extrinsecam Verbi.

Nunc quaerimus quemadmodum habeatur adaequatio veritatis circa hoc assertum, natura quaedam humana extrinsece Verbum denominat.

b Notamus latius patere denominationes extrinsecas circa Deum quam circa creaturas.

Causa efficiens sive increata sive creata dicitur actu causalitatem exercens per denominationem extrinsecam.

Deus vero dicitur cognoscere contingentia ut actu existentia et velle contingentia, non per contingentem actum cognoscendi vel volendi, sed per denominationem extrinsecam actus infiniti cognoscendi et volendi.

Ulterius sunt praedicationes extrinsecae circa Deum quae excedunt ordinem naturalem.

Supernaturale enim definitur quod specificatur per Deum uti in se est: iustus per gratiam sanctificantem habet ipsum Deum inhabitantem; beatus videt ipsum Deum uti in se est; hic homo Iesus est Deus unus et verus Patris consubstantialis.

c Dicimus adaequationem veritatis quoad inhabitatem Spiritus, visionem beatificam, Incarnationem, postulare

a' denominationem extrinsecam ipsius Dei uti in se est, nam Deus est simplex et immutabilis;

b' realitatem Deo extrinsecam Deumque dominantem; nam non habet denominatio extrinseca sine realitate extrinseca;

c' realitatem Deo extrinsecam Deumque dominantem et quidem absolute supernaturalem, secus non denominaret ipsum Deum uti in se est;

d' realitatem extrinsecam, absolute supernaturalem, et tamen finitam et contingentem et in iustis, in beatis, in humanitate Christi receptam; secus inhabitatio vel visio vel incarnatio essent necessariae vel non inessent iustis vel beatis vel humanitati Christi.

e' haec realitas contingens, absolute supernaturalis, qua habetur adaequatio veritatis circa inhabitationem, visionem, incarnationem dicitur actuatio finita per actum infinitum; dicitur actuatio finita, quia est contingens; dicitur actuatio, quia confert maximam quamdam perfectionem; dicitur per actum infinitum, quia extrinsece-dominant est id quo extrinsece denominatur ipse Deus uti in se est, est id quo Deus ipse inhabitat, Deus ipse videtur, Deus ipse incarnatur, Deus ipse se communicat secundum praesentiam, secundum cognoscibilitatem, secundum esse.